25

B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE COHIBENDIS POTIUS QUAM PROMOVENDIS HÆMORRHOIDIBUS

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

CONSENSU ET AUTORITATE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI EXPONET

CHRISTOPH. PHILIP. THEOPH. DRAUD,

JUGENHEMIO-DARMSTADINUS

AD DIEM XIX. AUGUSTI ANNO MDCCXLIX.

ARGENTORATI,

Ex OFFICINA PAUSCHINGERIANA.

§. XX.

Dum vero dicto modo (§. 19.) præcavere aut cohibere hæmorrhoidalem fluxum ſuademus, cautelæ tamen ſimul, ſub quibus hæc noſtra methodus convenire, & ſub quibus minus efficax eſſe poteſt, a nobis afferendæ ſunt. Erit huic noſtræ methodo locus, eritque neceſſario in actum deducenda, quotiescunque in ſubjecto quodam ſanguineo, plethorico præcipue juniori, adſunt molimina hæmorrhoidalia, (§. 5. n. 6.) hæmorrhoides fluere volentes indicantia, ubi per noſtram methodum, revulſione nimirum, orgaſmi temperatione, ſpiſſorum humorum attenuatione & denique roboratione vaſorum adminiſtrata, (§. 19.) motus & turbæ hæ diſcutientur iterum, nec fluent hæmorrhoides, nec aliæ noxæ ſublata cauſa hæmorrhoidum plethora nimirum &c. (§. 7. & 13.) orientur. Vel ſi jam fluxere ſemel vel aliquoties hæmorrhoides, hoc tamen non impedit, imo potius conducit & indicatur, ut extra fluxus tempus (§. 19.) methodo noſtra, ne in habitum degenerant, efficiamus, atque ne laxatis magis magisque hiſce vaſis, ſanguinis impetus maximus eo ſemper feratur, ut tandem evacuatio habitualis & conſueta inde oriatur. Sic enim, tuto multos a fluxu hoc iterum liberari poſſe, & ab omnibus periculis ab hæmorrhoidali fluxu metuendis per vitam immunes præſtari, confidimus. Et adhibenda eſt hæcce methodus tam in externis, quam internis; in apertis æque ac cœcis. Quod in nimiis talis methodus adminiſtranda ſit, nullum Medicorum contradicentem forſitan habebo, & quilibet eas cicurari vix alio modo poſſe ſponte mihi largietur. Nec illæ, quæ hæreditario jure ſunt acquiſitæ, curam radicalem, ſi in tempore illas modo prædicto aggredimur,

mur, respuunt. Si albæ sunt, præter indicationes memoratas, humorum correctioni præcipue insistendum est. Feminino sexui, si eædem contingunt, cum utplurimum mensium negotium turbatum arguant, ad illud in ordinem redigendum in indicationibus suis omnem suam operam impendere debet Medicus.

Quodsi vero per multiplices & reiteratas vices jam fluxere hæmorrhoides, si longa mora involuere, in habitum & consuetudinem abiere, tunc quidem fateri cogimur, & ipsi suasores existimus, ut tolerentur potius, & foveantur, quam per longam annorum seriem debilitatorum vasorum tonum restaurare in artis potentia non semper positum sit, cumque jam huc impetus humorum diu vergat illos avertere & revellere vix possibile & consultum erit. Tunc vero hæmorrhoides perinde ac ulcera antiqua, fonticuli, fœtores alarum, sudores pedum aliæque impurorum humorum excretiones patienter ferendæ sunt, & minus quoddam incommodum quod multa graviora præcavet, semper præferri debet, secundum effatum *Divi* SENIS Aph. S. VI. n. 12. *hæmorrhoidas curanti diuturnas, nisi una servata fuerit, periculum est, ne hydrops superveniat aut tabes.* Quod in illis subjectis, quibus nunquam fluxere, quæ tamen milimina persentiscunt, vel quibus haud ita sæpius evenere, non ita tolerandam erit, quin potius iis, ob allegatas rationes hæmorrhoides cohibendas potius quam promovendas esse concludimus.



pharmaca acriora, ſtimulantia, præcipue pilulas purgantes reſinoſas inducta ſit, (§. 17.) adeoque quod exinde neceſſario concludendum & ſtudendum ſit huic morbo, his noxis inde emanantibus omnibusque his memoratis incommodis potius obviam eundum, fluxusque potius cohibendus & magis conſultum ſit miſerias haſce præcavere quam promovere.

§. XIX.

Annon vero ipſimet in ſcyllam incidemus, dum evitare volumus charybdim, & anne tuto ſatis noſtrum propoſitum in actum deducere poterimus. Cum enim a ſuppreſſo fluxu tot mala, tot pericula (§. 5. n. 6. & §. 11.) exoriantur, nonne a cohibito eadem pertimeſcenda erunt? Verum quidem eſt, ſi eo tempore, quo fluunt hæmorrhoides actu illas ſiſtere adſtringentibus vel anodynis, fluxumque ſic impedire vellemus, minus rationales Medicos ageremus, imo in vitanda mala potius præcipiti lapſu detruderemus ægrum noſtrum. Aſt, quando ceſſavere hæmorrhoides, quando ſui veſtigium non amplius relinquunt, ne alio tempore denuo recurrant, moleſtias faceſſant ſubjecto, tunc locus tempusque conceditur moliminibus, futuroque fluxui obviam eundi, & ſi tunc methodum rationalem adhibemus, qua fluxus præcavetur & avertitur, tunc nihil ſiniſtri pertimeſcere debemus, & hoc vocamus cohibere hæmorrhoides. (§. 13.) Methodus vero, qua cohibentur hæmorrhoides, ſi rationalis eſſe debet, tuta etiam ſit oportet, eſt vero noſtra mox proponenda talis, quia non ſolum per illam æque ac per hæmorrhoides plethora imminuitur, incommoda ab eadem oriunda præcaventur, ſed &, quod potiſſimum eſt,

 quia

quia ab omnium, quos hæmorrhoides inducere possunt, morborum metu, sic liberatur hæmorrhoidarius æger.

Obtinebit vero hoc beneficium, dum ipsi

I. *Sanguinis abundantiam per Venæ sectionem* unam aut aliquot in brachio institutas *imminuimus*, simul vero sic humores a loco debilitato avocamus, revulsionemque eorundem efficimus.

II. *Orgasmum humorum temperamus, eosdem attenuamus, spissitudinem eorum corrigimus, indeque natos spasmos demulcemus*, quod per pulveres antispasmodicos, nitrum præcipue larga manu datum, potum sufficientem, juscula pullorum, ptisanas refrigerantes, acidulas, resolventes & alterantes leniores Teinacenses, Selteranas, Andegastenses, Grisbacenses, balnea præcipue domestica aut temperatiora naturalia, clysmata demulcentia, laxantia denique minorativa optime præstamus.

Sanguine vero atque humoribus ad superiora sic revulsis, temperatis, attenuatis, stasique in vasis hæmorrhoidalibus ani sublata, ipsamet nunc vasa intestini recti imminuto volumine & pressione liquidorum ex parte jam tonum suum recuperabunt, *illi* vero

III. *Qui adhuc deficit* tono *prospicimus* per rhabarbarina, martialia, acidulas Marte imbutas, quæ etiam subinde sub clysmatis forma in anum injici possunt, motum quoque in aëre puro sereno cum horum martialium usu conjungendo, evitando insuper in causis occasionalibus & diæta sollicite, omnia ea, quæ nostro morbo & causam (§. 7.) & recidivam (§. 15.) præbere diximus.

§. XX.

A

MONSIEUR
CHRISTOPHE ADAM WALTHER,

Marchand tres renommè de la Ville de Schweinfurth

MONSIEUR

mon tres cher Oncle!

L*Es differens bienfaits que de ma tendre jeunesse j'ay recû de* VOUS, *comme d'un de mes proches Parens, dont les bontés infinies ont toujours biens voulû me tenir lieu de Pere, sont pour moy des motifs si puissans, qu'ils m'engagent avec plaisir, a* VOUS *rendre, non seulement aujourd'huy, des temoignages publics de la plus vive reconnoisance, que je* VOUS *dois a ce sujet, mais encore a ne me jamais permettre de laisser echapper la moindre occasion, de* VOUS *assurer de cette veritè.*

Oui,

Oui, MON TRES CHER ONCLE, *ce ſont ces memes bontés paternelles, qui, ſecondées par mon devoir, m'ont inſpiré le deſſein de* VOUS *offrir en ce jour le Premices de mes Academies. Faites moy donc la Grace, je* VOUS *ſupplie, de les regarder, en les agreant, d'un oeil auſſi favorable, que je ſuis reſpectueux en* VOUS *les preſentant: Je tiendray le tout à grand honneur, ſi j'ay le bonheur de reuſſir dans mes Veües. Quel but plus noble pourrai je me propoſer que de* VOUS *plaire, & de meriter par la Votre Bienveuillance.*


Au reſte, je VOUS *prie* MONSIEUR, *d'etre perſuadé que, tant qu'il coulera une goutte de ſang dans mes veines, je ne ceſſerai jamais de* VOUS *convaincre des ſentimens les plus tendres & de l'attachement le plus reſpectueux, avec le quel j'ay l'honneur d'être*

MONSIEUR,
mon tres cher Oncle,

à Strasbourg,
ce 19. Aoüſt. 1749.

Votre tres humble & tres obeiſſant Serviteur & Neveux

Chriſt. Phil. Theoph. Draud.



PRÆFATIO.



QUamvis miſerum ſatis ſit mortalium genus, quod ab innumeris morborum catervis plectatur, quodque ne quidem per unicum vitæ ſuæ momentum a morbis tutum ſecurumque exiſtere poſſit, quin, ut a morbo quodam opprimatur: ipſi ſemper metuendum ſit; fuere tamen nullo non tempore Medici, qui morbos quosdam, corpori humano obvenientes, ſummo ejusdem beneficio contingere autumabant, quique, ut ſalus hominum firmior conſtantiorque eſſe queat, certa mala iisdem optanda, procuranda, & promovenda eſſe contendebant. Inde factum, quod febres intermittentes, diarrhœas, efflorescentias varias cutaneas, ipſa exanthemata, hæmorrhagias quasdam pro ſalutari naturæ conamine, corpus ab incommodis liberare vel ſartum tectumque conſervare volentis, habuerint; imo omni ſtudio hæcce energiæ vitalis molimina ſecundare, adjuvare & in actum deducere, allaboraverint. Hæmorrhoides præcipue circa finem præterlapſi ſeculi, perque dimidium

 hoc

hoc nostrum ex horum morborum censu exstitere, ut multi eruditione conspicui Medici de illis asserent, quod, si rite procedant, eas non solum eorum, quibus eveniunt, corpus ab incommodis immune præstare; sed &, quoniam auro cariores sunt æstimandæ, omnibus fere valetudinariis, ad molestias suas profligandas, imo omnibus pene hominibus ad morbos futuros præcavendos, ciendas esse existimarent. Verum enim vero, licet per accidens sæpe unus morbus alterum curet, non tamen illud corpori inde eveniens beneficium tantum tamque insigne est, ut non omni morbo potius supersedere malit quilibet mortalium, idque eo magis, si absque tali morbo, æque ab incommodis variis præservari ac curari potest, & si multis potius tam acutis, quam chronicis morbis, per tale procuratum ipsi emolumentum, porta potius panditur. Quod autem hoc ab hæmorrhoidali fluxu tolerato aut provocato maximopere metuendum sit, & *quod rationalis magis sit illa methodus, quæ cohibere illum, quam promovere docet*, præsentibus pagellis tenui calamo delineare annitar. DEUM T. O. M. ardentibus ideo invoco precibus, ut & hos conatus & omnia, quæ in posterum a me suscipientur, in Ter Sancti Sui Nominis gloriam, proximi salutem, meumque commodum vergere jubeat. Tu, *Benevole Lector*, quod beneficium quoddam tibi eripere studeam, non succense, nec me invidum bonorum proximi existima, sed potius tanquam Medicum, me malorum proximi averruncum, evadere velle crede, quin igitur faventem te experiar & errores condonantem, non dubito.

§. I.

§. I.

Humor corporis noſtri rubicundus in arteriis venisque primi generis reperiundus, ſanguisque dictus, licet laudabilis blandusque omnimodo exiſtat, nec ulla particularum vitiata qualitate peccet; ſola tamen ſui abundantia, vaſis, in quibus continetur, moleſtus, ſicque ſimul corpori noxius evadere poteſt. Arteriæ enim atque venæ ſanguinem coërcentes, ſi nimis liquido hocce turgent, a mole ejusdem, in parietes canalium flexiles premente, diſtenduntur; ultra elaterem ſuum dilatantur; nec eidem reſiſtendo ac movendo pares amplius manent. Cor etiam pondere atque mole nemii ſanguinis magis irritatum, fortiorem in ſyſtolem incitatur, atque irruentem cruorem celerioribus undis de ſe amoliri nititur. Hinc velocior ſanguinis circulatio, orgaſmus, æſtus, tenuioris diſſipatio, reliqui inſpiſſatio oriuntur, febres, per conſequens, congeſtiones, obſtructiones, inflammationes, omniaque mala, quæ plethora commota alias cauſatur, exinde producuntur. Fortiori vero tali impetu vaſa ſanguifera ita nonnunquam dilatantur ac ampliantur, ut æſtuans & undoſus ſanguis, minus reſiſtentibus vaſis ſanguineis in dilatata ora ſeroſorum lymphaticorum & ulteriorum vaſorum irrumpat, urgeatur, & tandem per ultima vaſculorum lateralium oſcula vel per anaſtomoſin exſtillet; vel ruptis plane cataractis & parietibus eorundem per diæreſin profluat, ſicque *hæmorrhagias* faciat.

§. II.

Variæ tamen ſunt hæmorrhagiæ, (§. 1.) & in variis corporis locis contingunt. Prouti enim vel ob inna-

innatam corpori certis in locis præ aliis debilitatem, ſyſtema vaſorum ibidem magis relaxatum eſt, vel a variis cauſis prægreſſis & occaſionalibus idem quibusdam in partibus atonia affectum eſt, ut, ſanguini ob remotiorum partium ſtricturas cum impetu ad ad talia loca pulſo, vaſa hæcce minus reſiſtere queant, ſicque majorem quam capere aut reprimere poſſunt quantitatem admittere cogantur; neceſſario tunc temporis, in hoc vel illo corporis loco per arteriolas venulasque laterales ſanguis ſibi exitum quæret, tantemque vi erumpet; unde diverſæ tunc hæmorrhagiæ oriuntur. Sic, ſi ſanguis per membranæ pituitariæ oſcula vaſorum aperta exſtillat, *narium* tunc *hæmorrhagiæ* nomine venit. Si per ſpongioſum pulmonum viſcus erumpit, *hæmoptyſis*. Si ex ventriculo effunditur, *vomitus cruentus*: ſi e renum tubulis exſudat, *mictus cruentus* ſalutatur. Uteri oſcula aperta, ſi ſanguinem fundunt, *hæmorrhagia uteri* oritur. Si tandem ex inteſtini recti aut ani vaſis profluit, *Hæmorrhoides* ſeu *fluxus hæmorrhoidalis* nuncupatur.

§. III.

Hæmorrhoides nunc, vi *etymologiæ* ſuæ ab ἇιμα ſanguis & ῥέω fluo, derivantur, denotantque quodcunque ſanguinis profluvium, e quocunque corporis loco contingens. Proprie autem & ordinarie *hæmorrhoides definiri* debent, quod ſint ſanguinis ad inteſtini recti vaſa ſanguifera, ſive arterioſa, ſive venoſa, hæmorrhoidalia dicta, congeſtio, aut per eadem aperta, evacuatio. Germanis ob auro pretioſiorem, quem corpori præſtare quidam crediderunt effectum, **die güldene Ader**, vocantur.

§. IV.

§. IV.

Quum vero fluxum hæmorrhoidalem ſanguinis ex ano evacuationem nominavimus, (§. 3.) non confundendus tamen erit cum aliis evacuationibus ſanguineis, itidem per huncce locum contingentibus, aliunde provenientibus. Sic

I. A *dyſenteria ſanguinea probe diſtinguendus erit* noſter fluxus, utpote in qua tormina & cruciatus immanes, aut circa regionem umbilici, aut in hypochondriis concurrunt, continuusque adeſt teneſmus, cum excretione quidem materiæ, ſed parca in quantitate; quid quod utplurimum febris inflammatoria conjungitur.

II. A *fluxu hepatico;* ubi fere abſque ullis torminibus & teneſmo, ſanguis inſtar loturæ carnis dilutus excernitur; ex ramis, vel arteriæ meſeraicæ ſuperioris, vel venæ meſeraicæ magnæ, apertis nimis, ortus. Et cum in inteſtina præcipue tenuia, initiumque craſſorum, ſeſe aperiant hæcce vaſa, hinc in inteſtina licet effuſus ſincerus ſanguis in tranſitu & via inteſtinali lympha continuo ablutus admodum aquoſus ſic & blandus evacuatur.

§. V.

Dividuntur hæmorrhoides

I. in *apertas* ſive *fluentes*, & in *cæcas* ſeu *clauſas.*

Apertæ dicuntur, ſi ex vaſorum hæmorrhoidalium vel luminibus dilatatis eorundum parietibus diſruptis, ſanguis ſincerus effluit, & tunc vocari etiam ſolent fluxus hæmorrhoidalis. Si vero intra dicta vaſa continetur & ſtagnat ſanguis, nec exitum ſuum invenit, ſed potius vaſa ipſa obſtruit, extendit, inteſtinique recti finem ſeu limbum i. e. anum anguſtat,

ſtat, imo ſummum dolorem ibidem excitat, cæcæ tunc vocantur hæ hæmorrhoides.

Quæ iterum vel *tumentes*, vel *turgentes* exiſtunt.

Priores, quæ proprie hæmorrhoides cæcæ vocantur, tumorem inflammatorium, pulſantem, lancinantem, intra limbum ani deliteſcentem, ac profunde in pinguedine immerſum, furunculi inſtar formant, occluſæ manent, imo ſæpiſſime in abſceſſum & fiſtulam degenerant. Turgentes vero ſunt fines vaſculorum in ſacculum vel veſiculam dilatatæ, ſanguine multum turgidæ, & inſtar nuclei vel fabæ in fine inteſtini recti hærentes, ſæpeque a ſcybalis prementibus rumpuntur, & in fluentes mutantur. Conf. *Excell.* JUNCKERI *Conſp. Med. Pract.* Tab. XI. p. 67. & XII. p. 78.

II. In *internas* & *externas* dividuntur.

Internæ ſunt, quæ ſanguinem vel ab arteria meſeraica inferiori, ad inteſtinum rectum ramos inſignes, ſub nomine arteriæ hæmorrhoidalis mittente, vid. *Acutiſſimi* WINSLOW *Expoſ. Anat.* Tom. III. *Traité des Arteres* n. 213., vel a vena hæmorrhoidali interna ſive meſeraica parva, in ramum ſplenicum venæ portæ ventralis ſeſe exonerante, in majori utplurimum copia, poſt excretionem demum profundunt. Externæ vero dicuntur, quæ ſanguinem vel ab arteriis hæmorrhoidalibus externis, hypogaſtricæ ſeu iliacæ internæ propagine, vel a venis hæmorrhoidalibus externis, in hypogaſtricam ſive iliacam internam venæ cavæ cruorem eructantibus, conf. iterum WINSLOW l. c. *Traité des Veines* n. 183. parcius, imo rarius evacuant. Hinc ſub ſpecie nodorum potius in ano conſpiciendæ ſunt, tumoremque utplurimum dolorificum efficiunt. Cæcæ hæ frequen-

frequentius exiſtunt, & a ſcybalis, vaſa comprimentibus, quandoque oriuntur, quandoque ab iisdem aperiuntur, & tunc ante eadem excreta ſanguis in conſpectum venit.

III. In *modicas* ſeu *ordinatas*, ac *immodicas* ſeu *nimias* illas quoque diſpeſcimus.

Si parce fluunt, nec corpori detrimentum afferunt, modicæ ſunt. Si vero vel nimis magna quantitas ſanguinis brevi temporis ſpatio perditur, vel nimis diu durat, vel cito nimis recurrit, corpusque inde multum debilitatur, tunc utique nimiæ vel immodicæ adpellandæ ſunt. evolv. *Ill.* HAMBERGERI, *Patroni atque Præceptoris pio ſemper cultu a me proſequendi Diſſert.* quæ exponit *Doctrinam generalem de Hæmorrhoidibus* §. 46. Tales ſunt ſæpe internæ, & vel ex dilatatis arteriis vel ex diſruptis venis erumpere ſanguinem, ſi immoderatus eſt hic fluxus & cum impetu contingit, ſic palam fit.

IV. In *rubras* ſive *ſanguineas* & *albas* ſive *mucoſas aut decolores* easdem quoque diſtinguimus.

Si ergo ſanguis ſincerus exit, rubræ; ſi vero mucus aut pituita quædam albicans exit, & quidem vel ſolitarie, vel ſanguinem ipſum præcedens, comitans aut ſequens, albæ tunc ſunt nominandæ.

V. Aliæ etiam ſunt *periodicæ*, aliæ autem *vagæ*.

Si nimirum certo ac ſtato tempore redeunt, ita, ut vel ſingulis menſibus, (ubi, ſi viris accidunt, *menſtrua virorum* adpellantur) vel tribus quibusvis menſibus, vel quolibet ſemeſtri, vel quotannis recurrant, periodicæ exiſtunt. *Doctiſſimi* STAHLII *Theoria Med. vera* Sect. II. *Pathol.* Artic. IV. *de Hæmorrhoidum fluxu* p. 745. Si vero nulli certo ſeſe adſtringunt tempori, vagas easdem nominare licebit.

VI. In

VI. In *imminentes* quoque, *præſentes* & *ſuppreſſas*, illas dividimus.

Quamdiu nondum fluit ſanguis, ſed ſolummodo tormina ventris & colica illa, quæ hæmorrhoidalis dicitur, dolor lumborum ſpaſticus, tenſio & inflatio abdominis, teneſmus & ſtimulus ad deſidendum, tumores in ano, imo in toto corpore laſſitudines, pulſus durus, frequens, plenus, dolores capitis, anguſtiæ præcordiorum, urina tenuis, alvus clauſa, aliaque ſymptomata concurrunt, quæ ſub nomine moliminum hæmorrhoidalium veniunt, tamdiu imminentes vocantur. JUNCKERUS l. c. Tab. XI. p. 68. Si vero tandem ſubſequitur evacuatio ſanguinis, præſentes eædem ſunt. At ſi quacunque a cauſa fluxus hicce vel emanet, vel intercipitur & turbatur, ſuppreſſæ hæmorrhoides tunc temporis dicuntur.

VII. In *congruas* etiam & *incongruas* easdem ſejungimus.

Si ſexui maſculino in virili aut ſenili ætate contingunt, congruæ nobis audiunt. Si autem infantili aut juvenili jam præſto ſunt ætati, tunc incongruæ cenſendæ, quo etiam mulierum hæmorrhoides referre licet, quæ quandoque menſtruorum vicariæ, quandoque comites exiſtere ſolent. Vide ſis *Cel.* HOFFMANNI *Med. Rat. Syſt.* Tom. III. Sect. I. Cap. IX. §. 12.

VIII. In *criticas* & *ſalutares* denique, atque in *ſymptomaticas* & *minus ſalubres* eas diſpeſcimus.

Priores cum euphoria ægri contingunt, & multos morbos rebelles ſolvunt. Poſteriores vero ſanitatem labilem potius reddunt & multis incommodis portam pandunt.

§. VI.

§. VI.

Tradita ſic differentia (§. 5.) variarum ſpecierum hæmorrhoidum, eo ipſo jam illas a ſe invicem dignoſcere & per ſua *ſigna* cognoſcere poteſt quilibet in Medicina verſatus. Si enim quidam, hæmorrhoidalem fluxum nunquam expertus antea, incipit moleſtari torminibus ventris, abdominis & hypochondriorum tenſione, ſpaſticis dorſi, lumborum, oſſisque ſacri doloribus, alvo clauſa, atque teneſmo, ſi in inteſtini recti fine nodum vel nucleum quaſi hærentem ſentit, urina cruda, paucaque emingitur; ſi cephalalgia gravativa detinetur; flatu, anorexia ac nauſea corripitur; horripilationibus æſtibusque vagis tentatur cum ſiti pulſu pleno, duro ac tenſo; &c. Ex hisce omnibus, vel quoad maximam partem, vel ſigillatim affligentibus, ſymptomatibus, Medicus Semiotices gnarus, hæmorrhoidum conamina cognoſcet, hasque exitum moliri pro certo concludit. Si vero ſanguis, vel ob viarum anguſtias, vel ob propriam ſpiſſitudinem, erumpere hic non poteſt, tunc tumores varii, ſacculi aut veſiculæ circa ani limbum enaſcuntur, (§. 5. n. 1.) qui cæcas tunc & quidem vel tumentes, vel turgentes efformant hæmorrhoides. Aſt, ſi ob ſanguinis vel nimiam fluiditatem, vel ejusdem impetum ferociorem oſcula lateralium vaſorum nimium diſtenduntur, imo crepant, ſanguis ſic ex orificiis ultimis hæmorrhoidalium vaſorum exprimitur. Ita quidem, ut ſi pauca ſolum vaſa, & præſertim hæmorrhoidalia externa varicoſa antea rumpantur, ſtriæ tantum ſanguineæ excrementis intermixtæ adpareant; ex quo externas hæmorrhoides ſolummodo adeſſe agnoſcimus. Si vero internæ, vel arteriæ vel venæ laterales & ultimæ,

ſanguini patent, tunc ſincerus ac copioſus, (§. 5. n.2.) quandoque tenuis & floridus ſatis, quandoque ſpiſſus & nigricans, evacuatur cruor. Et internas præſentes eſſe hæmorrhoides tunc concludendum. Si loco humoris rubri, mucus quidam cum teneſmo & dolore in regione oſſis ſacri & coccygis, exit, albas tunc eſſe hæmorrhoides indicatur.

§. VII.

Cum nullibi locorum in C. H. hæmorrhagia contingere poſſit, niſi laxata præternaturaliter oſcula atque parietes vaſorum exiſtant, (§. 1.) locusque vel viſcus illud antea debilitatum & morboſa atonia affectum ſit, ut ſanguini, impetu & vi moto, minus reſiſtere eundemque non amplius repellere poſſint; cum etiam locus debilitatus majorem ordinarie quantitatem ſanguinis, quam reliquæ partes admittere cogatur, præcipue, quando, ob remotiorum ſtricturas, aditus ſanguini ad eas denegatur, non mirm, ab irruente nimio cum impetu & nimia in quantitate ſanguine ad vaſa jam prævie a tono dejecta, urgente ſemper a tergo novo liquido orgaſtice expanſo diametrum tunc lateralium & non ſanguiferorum vaſculorum ita ampliari, eademque ita patere, ut continuante preſſione a tergo tandem per ultima oſcula exitum ſibi quærat ſanguis, aut, ſi lateralium oſcula nimis reſiſtunt, dum omnis impetus in parietes vaſorum contingit, hoſce eidem ſuſtinendo minus pares dehiſcere, interſtitia fieri, ſicque exſudare debere cruorem. Sic igitur, ſi arteriæ vel venæ inteſtini recti (§. 3. & 4. n. 2.) a quacunque prægreſſa cauſa relaxatæ nimis exiſtunt, hæ præ aliis corporis humani vaſis (§. 2.), ſanguinem in majori quantitate reci-

recipere ac admittere, tandemque cavitatis auctæ morbum pati debent, in quo quidem *causa* hæmorrhoidalis morbi *proxima* consistit, in apertis nimirum & ultra diametrum naturalem dilatatis vasis hæmorrhoidalibus, vel internis vel externis arteriosis interdum, interdum venosis (§. 5. n. 2.)

Non vero hæmorrhagiæ periculum incurrerent ullum, si nimio humore non replerentur atque infarcirentur vasa, si etiam humoris abundantis motus, æquabilis satis, nec citatus nimis, existeret, sique tenuis satis & fluxilis esset sanguis. Ast si sanguine, ad crepaturam usque turgent canales, si expansus, nimiumque orgastice commotus est idem, si ob fortem circulum subtiliori liquido difflato reliquus spissescit, in minimis vasculis compingitur, spissior aut acrior fit, exinde obstructionibus, dilatationibus, rupturis vasorum, hæmorrhagiisque ansa præbetur, *Immortalis* BOERHAAVIUS in cedro dignis *Aph. de Cognosc. & cur. morb.* §. 120. *inquit*, *nata in corpore vivo obstructio impedit transitum fluxuræ materiæ; reliqua impingentia sistit; horum actionem excipit; subtiliora exprimit; adunat crassiora; vas extendit, dilatat, attenuat, solvit.* Plethora hinc præcipue commota, sive quantitas sanguinis vel qualitas ejusdem spissa, pro *causis remotis* hæmorrhoidum accusare debent veris.

Illæ vero *causæ*, quæ vasa intestini recti aut debilitare, aut quocunque alio modo sanguinem huc pellere, sicque huic incommodo fomitem subdere possunt, *occasionales* dici solent. Inter has potiora loca tuentur aër calidior, imo & tempestas frigidior; cibi porro lauti, eupepti, acres, aromatici, saliti; potus itidem liberalis vinorum generosorum aut liquorum spirituosorum; motus insuper corporis fortior, præcipue equitatione institutus; nec mi-

nus ſuppreſſiones evacuationum naturalium v. g. menſtruorum in feminis, ut & in utroque ſexu artificialium evacuationum neglectus: Huc inſuper pertinent temperamentum ſanguineum, ſanguineo melancholicum, animi pathemata triſtia, Veneris exercitium immoderatum & feruidum; ſtatus graviditatis; obſtructiones pertinaces alvinæ ac ſcybala hinc duriora; abuſus pharmacorum purgantium, irritantium, reſinoſorum & præcipue pilularum, ſalinorum, colocynthiacorum, helleboratorum &c.; ut & vita ſedentaria otioſa, tandemque hæreditaria labes.

§. VIII.

Quosnam vero per haſce prædictas (§. 7.) cauſas hæmorrhoidalis fluxus in C. H. producat *effectus* vel *proſperos* vel noxios nunc quoque inquirere lubet, ut propoſiti noſtri ſcopum eo melius attingamus & firmemus. Si congruæ & moderatæ ſunt, fluentes internæ, plethoram ſæpe imminuunt, orgaſmum ſedant; congeſtiones, infarctus, ac obſtructiones viſcerum abdominalium, horumque ſpaſticas ſtricturas mitigant ac tollunt. Remotiorum etiam partium v. g. thoracis, capitis, cerebri, oculorum, auriumque affectus revulſionem humorum præſtando, auferunt. Et, præter quod omnia illa moleſta ſymptomata, quæ ſub moliminum hæmorrhoidalium nomine veniunt, profligent, ſi rite ad fluorem deducuntur, ita integram ſæpe legionem morborum, alias ſatis rebellium, feliciter proſternunt & abigunt. Ita quidem, ut mania, cephalæa, melancholia, nephritis, arthritis, podagra, hydrops, aſthma, cardialgia, colica, convulſiones, malumque hypochondriacum iisdem plus una vice eradicata

fuerint

fuerint & è medio ſublata feliciter, imo iis absque impedimento regulariter fluentibus multi ad Neſtoris annos canamque & vegetam ſenectam deducti fuerint.

§. IX.

Ita ſane eſt! audire mihi videor exclamare hæmorrhoidariorum patronorum tumultuariam turbam, hiſce emolumentis (§. 8.) fruuntur ii, quibus faventiſſima ſors hæmorrhoides ſumma ipſorum ſalute conceſſit, & ob hocce eximium beneficium hi ſoli mortalium beati prædicandi ſunt. Si itaque bona amicis precari volumus, hæmorrhoides potius, quam aurum & Indiæ divitiæ, iis optandæ; cum videlicet aurum, ſine ſanitate nil juvet; ſanitas vero absque hæmorrhoidali fluxu ſtare non poſſit. Quin igitur artis operam omnem in eo collocant genuini Æſculapii filii, ut fluxum huncce vel provocent, vel promoveant, vel conſervent. Aſt arrige aures pauliſper! atque ſi non plane hæmorrhoidum dulci amore captus, & præjudicio occœcatus es, quot e contra pericula hæmorrhoidarios circumſtent, quotque *noxæ* ex iisdem, quaſi ex Pandoræ pyxide, exurgant, & quam care hocce beneficium multi emant, placidus audi. Si impeditus enim eſt hæmorrhoidum effluxus, ob ſanguinem ſpiſſum vaſculisque minoribus firmiter impactum, vel *ſi nimis* parva & *anguſta ſunt vaſa*, præcipue *hæmorrhoidalia externa*, (§. 5. n. 2. & 3. §. 6.) ut exitum invenire nequeat ſanguis, molimina ſæpius jam citata, (§. 5. n. 6. & §. 6. & 7.) ſeu hæmorrhoidalia accidentia admodum dolorifica, maximas moleſtias ſubjecto ſuo faceſſunt; tormina præcipue variaque colica ac ſpaſtica ſympto-

 mata

mata in abdomine multum excruciant miſeros. In ano præcipue, & vaſis hæmorrhoidalibus externis, ubi exitum molitur ſanguis, oriuntur tubercula, (§. 5. n. 1.) vaſorumque inflammationes varicoſæ ac aneuriſmaticæ variæ, hæmorrhoides utplurimum cæcæ dictæ, quæ multoties dolentes, pulſantes, rubentes, ac tumentes fiunt, ut non ſolum inde ani orificium penitus obturetur, fecesque ſummis cum cruciatibus, ejulatibus & anxietatibus, imo ſyncope ipſa, quandoque exprimantur; verum etiam ficus & mariſcæ in ano inde oriantur. Inflammatio inſuper horum furunculorum, quæ ob arteriolas pinguedini profunde immerſas, vix diſcuti poteſt, in ſuppurationem vix non ſemper vergit, quæ quidem in pinguedine aut inteſtino recto ipſo ſic contingens, raro pus bonum & laudabile fundit, quin non exinde ulcus mali moris, cuniculos agens, imo fiſtula ani, curatu difficillima, ſæpiſſime producatur. Vel etiam, quando ex externis, impedite ſuccedentibus, ſanguis rite non effluit, ſed ad interiora magis regurgitat, dum arteria hæmorrhoidalis externa hypogaſtricæ ſive iliacæ internæ ſoboles exiſtit æque cum iliaca externa truncoque iliacorum communi continuatur, quod & de vena hæmorrhoidali intelligendum, utpote quæ in venæ cavæ iliacam internam ſeu hypogaſtricam & iliacam externam iliacasque communes propagatur, (§. 5. n. 2.) omnia tunc ab hiſce vaſis ſanguinem accipientia viſcera in pelvi locata & extremitates interiores inde quoque plectuntur, obſtruuntur, in conſenſum trahuntur, ut nephritica calculoſa, hyſterica, iſchiadica, arthritica, podagricaque inde oriantur tormenta.

§. X.

§. X.

Internæ hæmorrhoides, *ſi nimiæ* exiſtunt & immodicæ, uti omnes hæmorrhagiæ, quæ effrenes ſunt, non ſolum corpus multum debilitant, vires exhauriunt, tonumque ſolidarum partium deſtruunt, & laudabilem nutritiumque ſuccum corpori detrahunt; ſed & cruorem ipſum rubicundis & optimis ſuis particulis privant, ſicque ſanguinem aquoſum viſcidum atque tenacem efficiunt; quo ſimul digeſtio, chylificatio, ſanguificatio, omnesque ſecretiones, ut & ipſa corporis nutritio imperfecte contingunt. Corpus ſic exſuccum fit & extenuatur; tabe, atrophia, febre lenta conficitur; infarctus itidem & obſtructiones viſcerum abdominalium, hepatis ſcilicet, lienis, glandularum meſenterii inde fiunt; quas deinde œdemata, hydropisque variæ ſpecies, preſſo pede ſequuntur. Nec minus in corde, majoribusque vaſis, ob elaterem eorum multum imminutum, polypoſæ concretiones efformantur, unde deinde cordis palpitationes, aſthmata, anxietatesque præcordiorum ſimul enaſcuntur, quibus tandem febris & hydrops pectoris nonnunquam etiam catarrhus ſuffocativus aut apoplexia ſeroſa finem imponere ſolet.

§. XI.

Non minora vero, nec pauciora *pericula* imminent illis, quibus *hæmorrhoides internæ*, præſentibus licet conaminibus, (§. 5. n. 6.) *vel* plane *non erumpere queunt*, *vel* ſi fluunt, ſubito *ſupprimuntur*, nec iterum reproduci poſſunt. His enim præcipue, beneficus hic morbus, quaſi anguis in ſinu enutritus, inſidias ſtruit, eosque millenis modis miſere opprimit,

imo

imo tandem impune jugulat. Cum enim arteria hæmorrhoidalis interna, meſeraicæ inferioris propago ſit ſatis notabilis, hæcque meſeraica non ſolum inteſtinis craſſis, ſiniſtri potiſſimum lateris, proſpiciat, verum etiam cum meſeraica ſuperiore arcu anaſtomaſeos inſigni coëat, conf. WINSLOW l. c. *Traité des Arteres* §. 204. ſicque cum omnibus viſceribus in abdominis cavo locatis communicet, ſi ſic ex hæmorrhoidalis internæ oſculis ſanguis erumpere non poteſt in laxatis vaſis coacervatur, & cum impetus a tergo continuet ad ſuperiora vaſa ramos truncumque & viciniam regurgitat ſanguis, hinc in finibus arteriarum ſtagnans, inflammationibus viſcerum ibidem anſam præbet. Unde hepatitides, ſplenitides, ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, uteri etiam atque veſicæ inflammationes, nec non nephritides, mictus cruenti, hæmorrhoides veſicæ, ortum ſuum ducunt. Aut etiam ſi ſanguis ex vena hæmorrhoidali interna fluere nequit, cum in ſplenicam ſeſe exoneret, quæ ſui continuatione in venæ portæ ventralis truncum abit, (§. 5. n. 2.) a quo omnia infimi ventris organa ramos ſuos numerant, ſic uti a ſanguinis in arteriis intercepto itu celeres obſtructiones inflammationes nimirum, ita a ſanguinis in vena portæ remora lentæ viſcerum obſtructiones, infarctus, indurationes, abdominis tenſiones, hypochondriorum durities, ipſum hypochondriacum malum, vomitus cruentus, cachexia, icterus, œdema, hydrops, febris lenta, pallida mors denique pededentim obrepere ſolet. Ita quidem, ut ob haſce circumſtantias non injuſte Vena portæ, in qua ob hæmorrhoides ſuppreſſas, omnia hæcce contingunt, Portæ Malorum nomen meruerit, vid. STAHLII *Diſſ. de Vena Portæ Porta malorum Hypochondriaco-Splenetico-*

Suffo-

Suffocativo- Hysterico- Colico- Hæmmorrhoidariorum, & ALBERTI *Diss. de Hæmorrhoidibus Anomalis*, *quæ exstat in Tract. ejusd. de Hæmorrhoidibus* p. 311. Non vero in abdomine ſolum tragœdiam ſuam ludit, denegatus hic hæmorrhoidum effluxus, ſed & in remotas & diſſitas itidem partes ſeſe propagant noxii exinde oriundi effectus ſanguine quippe ad canales liberos majori in copia regurgitante eosque diſtendente. Unde pulmonum & pleuræ inflammationes, hæmoptyſes, phthiſes, aſthmata, palpitationes cordis, hydropes pectoris, anguſtias ſummas præcordiorum, catarrhum ſuffocativum, faucium, aurium, oculorumque multifarios affectus ſpasmodicos, inflammatorios, cephalæas pertinaces; catarrhales defluxiones, hæmorrhagias narium, meningum inflammationes, melancholias, manias, apoplexias ſeroſas æque ac ſanguineas; in artubus arthritica, rheumatica, podagrica accidentia; paralyſes, contracturas & ſexcenta alia mala producere poteſt. Doctiſſime hæc explicat *Ill. van* SWIETEN *Comment in Boerh.* Aph. §. 120. p. 184. ſqq. verb. *Dum obſtructa vaſa transmittere nequeunt impulſa vi cordis liquida, debebit in reliquis vaſis liberis hærere omne illud, quod per vaſa obſtructa tranſire non poterat: cum enim obſtructio ſemper in arteriis ſit omne liquidum quod pone locum obſtructum in arteriis per venas redibit ad cor; illæ enim facile deplentur: ſic manebit eadem copia liquidi movendi, interim minuto canalium numero; hinc ſi notabilis pars corporis in ſuis vaſis obſtructa ſit, reliquæ partes neceſſario majori copia liquidi diſtenduntur; & inde fient omnes plethoræ effectus; & debebit omne illud ſupra pondium liquidi vel manere in vaſis liberis diſtentis, vel debebit augeri circulationis*

velo-

velocitas, ut manente eadem copia liquidi, dato tempore per minores numero canales cor pellere possit sanguinem.

§. XII.

Leviores quidem noxas pariunt, *non* tamen *insontes* plane *sunt albæ hæmorrhoides*, vel decolores, quæ, cum mucum fundant albicantem vel sanguine tinctum (§. 5. n. 4.) id molestiæ secum ferunt, ut vascula minima multum inde relaxentur, intestini recti tunicæ inde flaccescant. Aut, si spissior fit & stagnat hicce mucus, acrimoniam induit; hinc fistulis lentis ansam præbet. Imo cachexia, corporis pallor, macies, hydrops, lenta febris inducitur, si copiose excernitur hic mucus. Vagæ hæmorrhoides si existunt, molimina per longum jam antea tempus præcedere solent, & omnia prædicta molesta symptomata experiuntur, quamdiu illas expectant, sique non eveniunt, deteriora adhuc, nempe emanentium vel suppressarum pericula, incurrunt. (§. 11.) Quibus ob ætatem fluere non debent, nihilominus tamen fluunt, illi non solum insigniter inde debilitantur, verum omnia incommoda duplicata gravitate persentiscunt.

§. XIII.

En, Candide Lector, emolumenta, en etiam detrimenta! quæ ex hæmorrhoidibus in corpus humanum redundant, quænam ex hisce potiora sint, & anne beneficio potius an damno mortalium fluant hi rivi, sincera æstimatione nunc ponderabimus. *Hæmorrhoidum fluxum* semper *morbum esse*, nec ipsi earundem patroni aut promotores in dubium vocabunt. Cum enim a plethora, orgasmo sanguinis, aut spissitudine ejusdem hicce fluxus natales ducat, (§. 7.) cum ob debilitata jam antea & a tono suo dejecta vasa sanguis orgastice

motus

motus vel ſpiſſus per hæc potius vaſa, quam per alia penetret, (§. 2.) omniaque hæc ſatis ſuperque morboſam diſpoſitionem arguant, ſolidaque ac fluida C. H. multifario vitio & morbo ſimplici peccare, antequam compoſitus hic morbus oriatur. Sanguis enim & humores quantitate vel qualitate peccantes, ſolida & vaſa atonia adfecta, imo canalium cavitas per anaſtomoſin aut diæreſin aucta, morbi ſunt conſenſu communi Pathologorum. Morbo igitur multiplici laborat, qui hæmorrhoidibus eſt obnoxius. A morbis igitur his curandus potius eſt talis, quam ut, hæmorrhoides in fluore conſervando, hæc incommoda foveantur. Qui abundat nimirum ſanguis, corpori detrahendus, ſic orgaſmus ejusdem, ſic ſpiſſitudo præcavebitur. Aut, ſi nihilominus moleſtias faceſſunt corpori, orgaſmus temperandus, humores ſpiſſi, tenaces reſolvendi & attenuandi, ſic ſolidorum robur etiam reſtituetur attenuato illo, qui obſtruebat, qui expandebat vaſa, ſanguine. Aut, ſi atonia vaſorum nondum penitus ſublata eſt, per tonica & roborantia ſolidorum tono ulterius proſpiciendum. Sic igitur quicunque hos morbos ſimplices curabit Medicus, hæmorrhoidum morbum præcavebit, cohibebit, imo curabit.

§. XIV.

Aſt, ubique coram tribunal Medicum citari vereor, quod cum hæmorrhoides, ceu morbum, curandas & cohibendas ſuadeam, beneficia ſic, quæ mortalibus exinde exſurgunt, iisdem eripere velim. Quot enim, inquiunt, & quam periculoſi ac rebelles morbi acuti æque ac chronici per illas critice ſolvuntur & funditus eradicantur. Verum eſt, non nego, & ipſe jam confeſſus ſum, (§. 8.) multos magnosque morbos iisdem tanquam remedio vinci ac auferri: corrobo-

roboratur etiam hoc tam antiquorum quam recentiorum medicorum obſervatis. Sic HIPPOCRATES *Aph.* S. VI. n. 21. *inſanientibus ſi varices aut hæmorrhoides ſuperveniunt, inſaniæ ſolutio fit*, & Aph. 11. ejusd. Sect.: *melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes*, *bonum* prædicat. Conf. alias obſerv. in *Clariſſ.* HOFFMANNI *Med. Rat. Syſt.* Tom. III. S. I. Cap. IX. §. 15. & 18. Ita multi alii morbi jam recenſiti (§. 8.) nullis aliis remediis debellandi, hacce evacuatione feliciter multoties ſublati fuere. Sic vero morbus quidem unus alterum ſanare poteſt, manet tamen ille, quo alter curatus fuit, ſemper morbus. Et, quemadmodum proprie loquendo, nullus morbus, niſi per accidens & relative ſolum benignus aut beneficus exiſtere poteſt, ita &, dum hæmorrhoides alios morbos deſtruunt, ex eo, quod *per accidens quandoque eædem ſalutares evadant*, quod ideo ſemper in omni individuo, etiam extra morboſam affectionem, pro morbis præcavendis aut omni morboſa conſtitutione curanda, neceſſariæ aut proficuæ ſint, non concludendum. Quemadmodum enim etiam per alias hæmorrhagias iidem affectus ſæpe vincuntur & critice profligantur, teſte præ aliis narium hæmorrhagia, quæ æque ac hæmorrhoides omnibus allegatis affectibus ſuperandis par eſt, quod illi præcipue, qui cum mania, melancholia, cephalalgiis pertinacibus, aurium oculorumque affectionibus ſeroſis & ſanguineis morbis acutis, exanthematicis, inflammatoriis, imo pluribus adhuc aliàs morbis colluctantur, ſummo ipſorum beneficio experiuntur, non tamen ullus Medicorum narium hæmorrhagiam neceſſariam adeo proficuamque habebit, ut illam in hominibus provocare aut promovere omni opera ſtudeat, illaque tanquam remedio & adminiculo ad morbos

aut

aut præcavendos aut curandos, idoneo efficaciſſimoque ſuperſedere nolit, quin potius narium hæmorrhagiam extra tempus criticum, cuidam contingentem, moderari, cohibere, aut ſiſtere ſtudebit Medicus rationalis. Si itaque hacce methodo procedimus quando & naribus exſtillat ſanguis, nimirum ut plethoræ, orgaſmo, ſpiſſitudini humorum, laxitati vaſculorum in membrana pituitaria Schneideriana reptantium mederi conemur, cur non æquali jure hæmorrhagiæ ani eodem modo ac narium hæmorrhagiæ aliisque proſpicere debeamus? cum utriusque par ſit ratio, cauſa, effectus & eventus nullo ſolido argumento contrarium nobis probari poteſt.

§. XV.

Imo, conceſſo etiam, quod provocatæ apud quosdam mortales in ſalutem vergere poſſint hæmorrhoides, (§. 14.) ſi tamen ingentem numerum eorum, quibus in ſummum vertuntur damnum, cum exiguo priorum comparamus, quibus bene cedunt, ſi etiam apud illos ipſos, quibus a leviſſima cauſa eædem ſupprimuntur, omnia mala indicata (§. 11. & 5. n. 6.) excitare poſſunt, quis momentaneum *hoc beneficium cum perpetuo metu conjunctum, ne in morbos omnes, aut præſentaneum vitæ periculum conjiciatur*, non lætus volensque ſibi adimere ſineret, aut illo carere mallet. Nonne apud perplures difficili negotio ad fluorem demum deducuntur hæmorrhoides, quam gravia tormenta, quam moleſta ſymptomata experiri coguntur, antequam fluant, (§. 5. n. 6.) quantas in vena portæ turbas non concitant hæc molimina, (§. 11.) ita, ut nullum viſcus ramos inde accipiens, nulla membrana, vas nervusve ſit, quæ inde non ſpaſmodice convelluntur morbifice afficiantur.

tur. Imo & in remotioribus & dissitis partibus ob nervorum consensum, sanguinisque impeditum circulum, spasmi, tensiones, vasorum oppletiones oriuntur, & tam in his quam in abdominalibus visceribus morborum acutorum æque ac chronicorum seges inde exsurgat. Et, si fluentibus tandem iis ab his liberantur symptomatibus, non diu ovare & securi existere possunt, quippe refrigeratio subitanea pedum aut corporis, ejusdem nimius motus, in cibo aut potu error quidam commissus, iracundia etiam, tristitia, abusus medicamentorum calidiorum, commoventium, aut refrigerantium quam facillime & citissime illas supprimere & in pristinum malorum gurgitem eos conjicere iterum potest. *Laudent igitur*, ut verbis utar MAGNIFICI DN. HILCHEN, Universitatis Giessensis insignis decoris in Dissert. de Dolore Coxæ §. 11. p. 15. *hæmorrhoides suas & ad cœlum usque extollant, nobis sane laus hæc semper merito & ex jure suspecta erit. Est enim hæmorrhoidalis fluxus vacillantis sanitatis comes, & aurei illi montes, quos sibi hæmorrhoidarii Medici pollicentur, parturiunt sæpe pœnitendos malorum successus.*

§. XVI.

Erunt vero, non dubito, multi, qui ab hocce incommodo liberari vehementer optarent, nisi ille timor eos retineret, quod cum fluxus hic evacuatio quædam naturalis existat, eundem temere & cum damno solum cohiberi, credant. At omnem evacuationem sanguinis esse præternaturale aliquid, omnemque hæmorrhagiam morbum esse, (§. 1.) non solum supra jam probatum ivimus, quoniam a sanguinis vitiis, a vasorum debilitate, (sed sunt hæc morbi) oritur, sed hoc etiam ita verum esse autumamus, ut menstrua etiam excretio

tio non plane naturalis evacuationis nomen mereatur, quia ab iisdem caufis dependet, & quia infuper dantur exempla feminarum non menftruatarum perfecte fanarum. Hæcce tamen, quia ob fœtus geftationem & nutritionem in fexu muliebri requiritur pro magis naturali haberi adhuc poteft, reliquas vero omnes fanguinis excretiones, quæcunque fint, hæmorrhoidibus nequaquam exceptis, pro præternaturalibus evacuationibus & femper morbofis jure meritoque habendas effe cenfemus. *Nec* in viris *hæ* veluti in feminis catamenia pro plethora ipforum imminuenda æque neceffariæ, *menftruaque* fic *virorum exiftunt*, quum non fint æque plethorici viri ac mulieres, nec fuperfluum adeo in aliquem fcopum alere neceffe habent mares fanguinem ac mulieres. Cum igitur æque ac reliquæ hæmorrhagiæ noftra præternaturalis fit, cur tolerari queat, iterum non perfpicimus.

§. XVII.

Quid quod revera præter naturam contingere hunc fluxum exinde quoque manifefte probatur, quod raro fponte eveniat idem, fed folummodo fere cieatur per fedentariam vitam per errores in diæta, imo per pharmacorum, magnefiæ, falinorum, refinoforum, pilularum præcipue aloëticarum abufum, (§. 7.) ita quidem ut cordate affeverare audeamus, abhinc eo tempore, quo multis in locis corpora pilulis purgandi mos invaluit, hæmorrhoidalem demum fluxum productum & cognitum fuiffe, cum antea in his locis ab eodem immunes vixerint homines. *Cel.* HAMBERGERUS *Diff. cit. de Hæmorrhoïdibus* §. 26. & *Ill.* HOFFMANNUS l. c. §. 13. Ita quidem, ut cum arte potius & incondita medicatione inducatur, ex hoc capite etiam præternaturalis haberi

beri debeat. Hinc eſt, quod integræ adhuc nationes, veluti Galli, Hiſpani, Itali ab eodem immunes, ſani tamen vivant, apud quos rariſſimus eſt, aut ſi forte evenit, critice in morbis, uti hæmorrhagia narium contingit (§. 14.) & humoribus abundantibus & noxiis per criſin evacuatis, non amplius ſe manifeſtat. Sed utuntur hi populi purgandi ſcopo ſolum minorativis, humectantibus, Rhabarbarinis, mannatis, tamarindinatis, caſſiatis, paſſulatis laxantibus, non vero ſtimulantibus illis reſinoſis, ſalinis, ſanguinem ad ſedis venas derivantibus, fluxum ſic irritando provocantibus.

§. XVIII.

Quodſi vero ad ea, quæ hactenus propoſuimus (§. 13. ad 17.) animum ſerio advertimus, convicti erimus, quod

I. Hæmorrhoidum fluxus ſemper morbus quidam ſit, (§. 13.) a multis aliis præexiſtentibus & ſimplicioribus morbis ortum trahens.

II. Quod licet multi morbi inde curentur, hoc tamen per accidens ſolum contingat, eodem modo, uti per hæmorrhagiam narium illud ſæpe fit, (§. 14.) quam tamen omnes Medici, ſi non critice contingit, moderari ſtudent.

III. Quod infinitos morbos tam acutos, quam chronicos quolibet vitæ momento metuere debeant illi, (§. 15.) quibus vel non rite fluunt vel ſupprimuntur.

IV. Quod non ſit evacuatio quædam naturalis, menſtruæ mulierum ſimilis, (§. 16.) adeoque neceſſario toleranda.

V. Potius per errores in regimine diætetico, per

phar-